

berg  
7  
96



*Muth* 302 1928 K 944 7, 26  
RELIGIO DIVINITVS PATEFACTA VTRVM  
ET QVATENVS DICI POSSIT HOMINIBVS  
NECESSARIA

---

DISPVATATIO PHILOSOPHICO - CRITICA  
QVAM  
P R A E S I D E  
C A R O L O F R I D E R I C O  
R O S E N H A H N

PHILOS. DOCT. ORDIN. PHILOS. ASSESS. ORDINAR. ET  
AD AEDEM AR CIS DIA CONO

E NVMERO EORVM QVI SVB EIVS PRAESIDIO PRIVATIM SCRIB-  
ENDO AC DISSE RENDO EXERCENTVR

A. DIEM XVI. NOVBR. A. R. S. MDCCXCVI.

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R  
H E N R I C V S C A R O L V S F R O T S C H E R  
DROGNITIO - NEOPOLITANVS  
SS. LL. CVLTOR.

---

VITEBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHIL

-1796

ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΛΑΤΤΑΓΩΑ ΑΥΓΗΣ  
ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΔΙΩΝΙΣΟΥ ΛΑΤΤΑΓΩΑ  
ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΔΙΩΝΙΣΟΥ ΛΑΤΤΑΓΩΑ  
ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΔΙΩΝΙΣΟΥ ΛΑΤΤΑΓΩΑ

ΙΝΕΔΕΣΣΑΡΙΑ

ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΔΙΩΝΙΣΟΥ ΛΑΤΤΑΓΩΑ

Ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῇ σοφίᾳ τῷ Θεῷ ἐκ ἔγκω ὁ κόσμος διὸ τῆς  
σοφίας τὸν Θεὸν, ἐνδικητεῖν ὁ Θεὸς διὸ τῆς μωρίας τῷ ηγεύμα-  
τος εᾶσαι τὰς πιτεύοντας.

PAVLI Epist. I. ad Corinθ. c. I. v. 21.

RELIGIO DIVINITVS PATEFACTA VTRVM  
ET QVATENVS DICI POSSIT HOMINIBVS  
NECESSARIA

§. 1.


*Instituti ratio.*

**A**nimum aduententem ad philosophos recentioris aetatis, imprimis eos, qui vulgo Criticorum nomine venire gestiunt, id ipsum haud parum offendit, quod inter eos de rebus, ad philosophiam pertinentibus iisque accuratori meditatione dignis, existunt tot ac variae opinio-nes et iudicia diuersa, ut propemodum inducatur ad credendum, illam ipsam philosophiam dissidiis et contentionibus magis ansam praebere, quam lites, iam diadum ortas, ex principiis indubitatis componere. Haec diuersitas iudiciorum et opinionum, quae saepen-tero ex inscientia rerum orta est,<sup>a)</sup> tanto magis in oculos incurrit, quo diligentius operam nauas, in iudiciis virorum doctorum de *reli-gione*, quae vulgo diuinitus tradita dicitur, eius natura et necessita-te, cognoscendis. Hic enim ratio humana, cumprimum huius reli-

A 2

gionis

a) Non est, quod putas, nos in philosophos criticos eosque veri nominis animo ferri inimico; verba sunt Ciceronis de Natura Deorum I. I. c. 1. hunc in modum differentis: *Perobscura est quaestio de natura Deorum*; de qua tam variae sunt doctissimorum hominum, tamque discre-pantes sententiae, ut magno arguento esse debat, caussam, i. e. principium omnis philosophiae esse inscientiam.



gionis possibilitatem, indolem et viilitatem curatus dijudicare stude-  
ret, haud raro in tanta incidunt opinionum discrimina et salebras, vt  
istis studiose ponderatis, vix tibi persuadere possis, vnam eandemque  
rationem, quam coelitus traditam esse tantopere praedican, haec ac  
talia sibi fingere atque pro veris venditare potuisse. Non iam in eo  
sumus, vt hanc opinionum diuersitatem de religione omnem ope  
philosophiae tollere conemur, iudiciaque hominum doctorum varia  
ad vnum idque verissimum secundum principia indubitate redigamus,  
litesque componere audeamus, quod opus esset non solum mole-  
stum ac perdifficile, sed etiam vires iuueniles excedere videtur; imo  
potius in eo nobis satisfecisse existimabimus, symbolum quoddam si  
contulerimus, ad pacem praeparandam et olim efficiendam.

Egomet enim ipse, quod lubenter profiteor, cum sententias  
pariter ac opiniones philosophorum et theologorum nostrae aetatis  
de religione, imprimis ea, quae singulari et extraordinario, vt dicunt,  
modo ad homines venisse dicitur, cognoscere studerem, haud pa-  
rum demiratus sum earum multitudinem atque pugnam inter se non  
raro adapertam; praesertim cum primum eas intuens et considerans  
intelligerem, quosdam viros doctos, a matre philosophia parum nu-  
tritos, in deuia delapsos, quidque verum sit non assecutos, sed potius  
nubem, vt aiunt, pro Iunone amplexos esse. Ne igitur in eosdem  
delaberer errores, et essem, vt Pauli verbis utar, *ως αἴρει θέραν;* se-  
dulo applicandum animum meum esse existimau ad studium philo-  
sophiae, imprimis criticae, vt, si genius mihi fueret, eius placita  
certiora adferrem ad omnem theologiam saniori iudicio subiicien-  
dam. Qua philosophia vero vel leuiter degustata, intellexi, quod  
mirum!



5

mirum! saltem intellexisse visus sum, me fere omnia, quae hucus.  
que studiis meis cognouisse atque perspexisse putaueram, ignorare,  
atque in inscitia et obscuritate deploranda, ut plerisque iuuenibus phi-  
losophis accidit, versari. Hinc nouam quasi rationem studiorum meo-  
rum ingredi proposui, ita, vt cum antiquissimis quibusdam philoso-  
phis, de quacunque re, dum iuuenis essem, iudicarem: *οκεπτέον εἰσι*.  
Iam vero licet eius fuerim sententiae, vt de quacunque re ad tempus  
quoddam dubitandum esse censerem; tamen et bene sciebam, theolo-  
gum, si tamē sentiendi et iudicandi rationem imprimis de religione  
eiusque necessitate et utilitate, vsque dum vixit, obseruauerit, inde  
parum trahere laudis atque virtutis; praefertim cum principia quae-  
dam induxitata adesse dicantur, e quibus iudicium verum de rebus  
ad religionem pertinentibus, possit repeti. b) Qua re motus, nolo amplius  
dubius haerere, sed hacce occasione scribendi publice profiteri, quae-  
nam sit mihi theologo religio, quodque de ipsa iudicium; qua ex  
professione patebit, vtrum nomen tantum theologi in fronte geram,  
et religionem ipsam diuinitus patescam, vel plane abnegem, vel  
superfluam aut vitiosam iudicem, c) an potius argumentis philo-  
sophiae senioribus ductus, illam ipsam religionem diuinitus patescam  
mia mente amplectendam existimem. Quae cum ita sint, sumsi mihi  
hoc-

A 3

- b) Haec principia vulgo inneniri in ratione practica, vt dici solet, et in  
reuelatione diuina, vix moneo; vtrum haec principia sint indubitata  
nec ne, iamiam locus non est, definendi.
- c) Ex historia nouissima satis patet, sicut et deinceps demonstrabitur,  
quamlibet harum vituperationum religionis reuelatae, nominatum  
christianae, suos naclam esse defensores.

hocce thema tractandum: *Religio distinclus pars facta utrum et quatuor dñi possit hominibus necessaria;* non quidem, ac si nescirem, multa de hac re ex parte iam disputata et ventilata esse, de quibus in sequentibus differam, sed, ut meo modo, i.e. libere atque philosophice nec non modeste prolixiter, quid in tam graui re mihi potissimum videatur. Cum vero hocce nostrum duplex problema admodum sit distinctum, atque perspicuum, vix opus est, ut moneam, hunc libellum nostrum duabus iri absolutum partibus, quarum prior quaeret de problemate priori, posterior de posteriori; his disputandis ad philosophiae senioris principia exactis, nos promissis nostris omni ex parte satisficeremus.

§. 2.

### *Apologia Disputationis.*

Haud perperam forte praeuidemus, fore, qui operam nostram in inquirenda et exponenda hacce re superfluam atque eam ob causam ihanem diuident. Namque existunt, quod nos non fugit, libri, disputationes et scripta multa ac copiosa et interdum praeclara et bene composita, quae de priori certe libelli nostri parte exposuere, et religiosi reuelatae non modo, sed etiam christiana necessitatem, praefiantiam et utilitatem ab aduersariorum obiectionibus defendere: E quibus iam ante hos fere triginta annos prodit liber praefantissimus LELANDI in dem Erweis der Vortheile und Nothwendigkeit der christl. Offenbarung. Hunc secuti multi, qui commune nomen defensorum religionis, scilicet christiana contra Naturalistas et Deistas traxerunt, quos vides collectos partim in NOESELTI Anweisung zur Kenntniß der

der besten allgemeinern Bücher in allen Theilen der Theologie, §. 191 —  
 195; partim in *Repertorio actor. literar. Ienens.* Tom. I. P. III. Sedl. II,  
 num. 2 seqq. At vero, licet operam istorum virorum nullo modo  
 contemnamus, sed potius omni modo laudandam atque adeo prae-  
 stantem esse vere putemus; tamen et hoc ipsum non possumus statue-  
 re, illam disputationem esse finitam, et ita omnibus numeris abso-  
 lutam, ut noni quid addere, vterius progrexi et rem ipsam distinctius  
 tractare nequeamus. Etenim sicut quilibet fere istorum virorum  
 suum in hac re ponderanda et demonstranda fecutus est genium, ita  
 et nosmetipſi in hac quaestione lustranda sic versabimur, pro ut nobis  
 hacce aetate philosophica commodissimum videtur atque iuslissimum.  
 Igitur perpendas mecum modo hoc: in hac nostra quaestione nobis  
 non satisficeri, si in genere tantum quaesueris: utrum religio diuini-  
 tus patescata hominibus necessaria sit; sic enim facile poteris hocce  
 problema affirmare et demonstrare, ita, ut ipsa demonstratio, licet  
 quibusdam dubiis obnoxia fuerit, tamen non adeo multum exigat  
 ingenii. At vero, si opiniones quorundam philosophorum legeris et  
 cognoueris, quibus rationem humanam nimium quantum extollunt,  
 eamque, suis viribus nifam, sufficere existimat, ad religionem exco-  
 tandum, quae imago quasi sit diuinitus exhibita; clamores interdum  
 audiueris de hominum nostrae aetatis cognitione in rebus diuinis et  
 ad religionem pertinentibus, sola ratione magistra acquisita, eaque  
 multo perfectiori et intelligenteriori, quam quae apud maiores nostros  
 fuit; atque ita demum quaesueris, num nostris temporibus, quibus  
 lux rationis imprimis assulsi, religio diuinitus patescata hominibus ad-  
 huc necessaria sit; si et hoc non praetermisericiter obseruare et indagare:

num



num *omnibus* hominibus, ne vlo quidem excepto, religio diuinitus patefacta necessaria sit, an *quidam*, licet patieissimi et sapientissimi inveniantur, qui tali religione carere possint; facile, ne plura addam, tibi persuadebis, non parum inde momenti et grauitatis accedere ad disputationis nostrae argumentum, remque nostram eo difficiliorem euadere, quo maiorem veri speciem ista perfectior nostrorum hominum cognitio de rebus religiosis eaque opinata habet. Quae omnia si accuratius apud animum tibi proposueris, non poteris laboreum nostrum suscepimus diiudicare inanem atque superuacaneum.

§. 3.

*Notionum circumscriptio.*

Quam necessarium sit, in re, quae in utramque partem est disputata, notiones, in quibus cardo rei agitur, diligentius circumscribere, demonstratione non indiget. Hanc vero notionum finitionem in causa nostra esse grauioris momenti, atque adeo necessariam, rei peritus facile intelligit. Primo autem nobis obvia est notio princeps *religionis* scilicet *reuelatae*, quam dicere placuit religionem *diuinitus patefactam*. Iam rationem non habemus eorum, (quod quidem a re nostra est alienum) qui dubitarunt et adeo negarunt, fieri unquam potuisse, vt religio diuinitus patefacta ad homines perveniret. Possibilitatem (sit venia verbo) iam sumimus. Est autem religio diuinitus patefacta non nisi ea, quae singulari Dei auctoritate ad naturas intelligentes et liberas pervenit, eo consilio, vt earum cognitio de summo nomine eiusque ad ipsas relatione, atque virtute colenda augeretur. Hac ex circumscriptione satis patet, nos loqui de religione diuinitus patefacta

in

*in genere* siue pertineat ad homines, siue ad alias naturas intelligentes; deinde vero, nos non respicere ad aliquam religionem, diuinitus datam *in concreto*, i. e. vel iudaicam vel christianam; tum vero contendimus, hanc religionem singulari auctoritate gaudere debere, eaque diuina, i. e. quae tali modo patefacta, vel promulgata est, quo ad eam tamquam diuinam agnoscendam, ratiocinando peruenire possumus; siue hic modus inueniatur in miraculis, siue in sanctitate morali, qua Deus semetipsum summum et sanctissimum legislatorem prodit et manifestat, atque hanc sanctitatem a naturis intelligentibus requirit; siue in supernaturali ipsius in animos hominum efficacia. d)

Hac

- d) Ne quis existimet, has notas definitionis a nobis male esse conceptas, secum reputet hocce: nos non solum loqui de religione *diuina qua talis*, haec enim per se neque indiget singulari Dei auctoritate, vel in miraculis, vel in peculiari Dei declaratione, vel in alia re externa conspicua; sufficit, eam esse veram et rationi humanae consentaneam, non repugnantem; sed etiam nobis imprimis sermonem esse de religione diuinitus *patefacta*, in qua respicimus *modum* singulari patefaciendi, a Deo ipso profectum; haec tenus autem religio diuinitus patefacta est ex parte eadem, quae positiva dicitur. In positiva religione vero, cuius *forma* spectatur, inueniri deber exterrum quicquam, quo agnosci potest ipsius auctor; inde etiam in religione diuinitus patefacta, quatenus positiva est, miracula omnino videntur requirenda. Eadem statuit recte, ut puto, S. V. NITZSCHIUS in programmate, ad Festi Michael. nuper edito, p. II. cf. etiam Acta literar. philosoph. a IACOBO edita a. 1796. in iudicio, quod fertur de Eccii tentamine famoso, *miracula Iesu e legibus naturae explicandi*. Caeterum, si quis ipsam revelationis notionem vult expositam; cuius descriptio ad nos non pertinet, audeat philosophos criticos, qui

B

de



Hac notione religionis diuinitus patescatæ explicata, sumamus nobis vocabulum *necessarii* explanandum, illud ipsum cum vario modo possit intelligi, ut videamus, qui sensus a nobis obseruetur et retineatur. Vox *necessarii*, quod primo notamus, *vulgari* pariter gaudet significatione, ac *philosophica*, hanc ab illa distinguere, philosophi est. In priori vi indicat plerumque id, quod *esse et fieri debet*, diciturque non modo de actionibus hominum, rationi consentaneis perficiendis, sed etiam de omni re, quae adesse atque accedere debet, ad aliquid efficiendum et praestandum. Hic sensus, qui ad vulgarem huius vocis usum pertinet, ad nostram causam, quae est philosophica, nil facit circumscribendam. Potius philosophica significatio hic obtinet, quae est magis distincta atque definita, qua *necessarium in genere in eo cernitur*, quod ex legibus quibusdam vniuersalibus existit atque existere debet. Hae leges cum sint partim physicae, partim morales, partim logicae, et ipsa necessitas hanc triplicem naturam induit. Illa, *physica* necessitas refertur ad leges, quae corporibus sunt scriptae vniuersales; illa, *moralis*, quae actiones regit liberas; et haec, *logica*, quae ad leges modi nostri cogitandi pertinet. Quicquid igitur cum hisce legibus conuenit, atque ad illas est exactum, dicitur *necessarium logice*, atque id ipsum *necessario debemus sic*, non aliter cogitare; cernitur igitur in coniunctione notionum, ad iudicium aliquod veritati contentaneum ferendum. e)

His

de hac re scripsere, e. c. FICHTIVM in *Critica reuelationis*, edit. II.  
§. 5 et 6.

e) Nolumus hic repetere, quae iam dudum KANTIVS docuit de varia notionum coniungendarum ratione, analytica et synthetica, ab ipso enim

His praemissis, non difficile est ad intelligendum, nos tantum de *logica necessitate* disputatione; ad aliam enim necessitatem propositio nostra, in themate proposita, referri nequit. Itaque si accuratius thema nostrum circumscripsum requisiveris, sententiam ipsius hanc habeto: si mente concipio notionem hominum cum ipsorum virtibus, et notionem religionis diuinitus patesfactae teneo; quaeritur: licetne has notiones ad propositionem aliquam ita coniungere, ut secundum leges cogitandi vniuersales posterior de priori affirmetur, aut categorice, aut hypothetice, aut fortasse negetur? Deinde quaerendum, quonam modo (gradu) haec coniunctione dici possit, num *necessario* a utili an *alio*? Has leges si inuenierimus, atque ex iis rem nostram dijudicauerimus, veram viam ingressos nos esse, non dubitabimus.

§. 4.

*Distinctiones quaedam et status controversiae.*

Quod saepius fieri solet in re controversa, ut, qui item dirimere conantur, statum causae aut plane ignorent, aut non accurate teneant, ideoque ad mutationem elenchi, ut logici loquuntur, prolabantur; id ipsum nobis accideret, nisi distingueremus hac in causa partim *necessitatem*, partim *homines a se inuicem*. Sicut enim illa, logicam puta, est diuersa, ita etiam hi, licet eadem gaudeant natura, tamen ratione virium mentis, quatenus haec sunt magis minusue excultae, inter se valde discrepant. Inde etiam, quod ad prius attinet, causae

B 2

nostrae

enim edocemur, varios esse modos necessitatis logicas in coniunctionis notionibus, alias apodicticus, assertorius alias et aliis problematicus, quos, vel leuiter imbutus KANTII philosophia, facile tenet.




nostrae *ἀναγρῶσ* pertractandae non parum inferuit distinctio necessariae *absolutae* atque *hypotheticae*. Illa in coniunctione duarum notionum cernitur, cuius ratio invenitur in subiecti iudiciorum notione. Eiusmodi autem propositiones, in quibus haec necessitas coniunctionis absoluta invenitur, dicuntur analyticae. Haec hypothetica, conficit in coniunctione notionum duarum, cuius ratio cognoscitur ex tercia notione subiuncta. f)

Deinde vero nec praetermittendum hoc est, propositionem nostram principem, de qua causa agitur, duplice modo intelligi posse, ratione scilicet hominum, de quibus *necessitas* religionis diuinitus traditae problematice dicitur. Evidem enim purauerim, maxime diversam evadere sententiam, si quidem vocem hominum intellexeris vel in vniuersum de humano genere, ut sicut, est atque erit; vel si distinxeris homines aeuī antiquissimi ab hominibus nostris aetatis cultioribus quippe atque intelligentioribus, hos vero denuo a posteris olim viventibus, rationis vi haud dubie excellentioribus, sapientioribus et sagacioribus nobis. Pro hac distinctione poteris iure triplici modo

qua-

f) Ut exempla afferamus necessarium non videatur. Hae explicaciones enim sunt mera lemmata, quorum demonstrationem disciplina logica suppeditat, atque exemplis illustrat. Has vero distinctiones sat graue habere momentum ad causam nostram rege tradendam et seqq. facilius patebit. Noli vero eius esse sententiae, ut statas, nobis non constituisse de propositionum syntheticarum a priori, ut dicuntur, natura, in quibus cernitur etiam *absoluta necessitas*, licet haec ipsa rationem non habeat in subiecti notione; fundamentum enim istius coniunctionis later in *exponitis* rationis nostrae primordiorum, ideoque non est mere logica necessitas.

quaerere; primo: *vtrum et quatenus hominibus antiquissimi aeui religio diuinitus patescata fuerit necessaria;* deinde: *vtrum et quatenus huiuscetate hominibus,* et denique: *vtrum seculorum futurorum hominibus religio diuinitus patescata necessaria dici possit.* Primo quidem intuitu si hanc triplicem quaestionem consideraueris, videris tripli modo respondere debere. Addas vero et hoc: te posse et adeo debere in quaestione de nostrae etatris hominibus, de quibus causa nostra imprimis agitur, iterum discernere homines sapientiores a rudibus et incolitis, et diuidere quaestionem hoc modo: *vtrum rudibus hominibus religio diuinitus patescata sit necessaria,* et, quod difficilius definitur: *vtrum et quatenus ista religio sapientioribus et iis,* qui ratione practica regi volunt (non auctoritate, quantumvis divina) sit necessaria? haec si recte conceperis animo, habes fines praescriptos, quibus nostra continebitur disputatio. Hinc statim controversiae sic descriptum volumus. Cum essent vel hacce nostra aetate, qui de necessitate pariter ac utilitate religionis reuelatae vario modo dubitarent, atque excitarentur, qui rationis humanae, quippe quae falli non possit, laudes nimis quantum cancerent, idque ipsum cederet in detrimentum atque contemptum religionis diuinitus patescatae; iure querimus: *vtrum haec religio adhuc dici possit hominibus necessaria;* atque, ut hanc nostram causam omnibus absolutam numeris reddamus, limites iudicii nostri distincte signabimus tractanda quaestione altera: *quatenus dici possit religio diuinitus patescata hominibus necessaria?* His disputatis, causam nostram omni studio persequemur.



§. 5.

*Historia sententiarum de necessitate religionis diuini-  
tus pateraelae.*

A primis inde temporibus, quorum historiam memoriae prodidere libri sacri, si ad nostram vsque aetatem contemplando descendimus, atque singulas singulorum hominum colligimus sententias, in utramque partem de monitorum diuinorum necessitate excoigitatas atque propugnat; tot ac varias deprehendimus, vt, si omnes enumerare vellemus, haec disputatio earum vberiorem non caperet expositionem. Liceat igitur ad classes easdem redigere et praecipuas atque grauissimas recensere. Sunt autem, qui de causa nostra iudicia reliquere, duplicitis generis, partim, qui pro religionis reuelatae necessitate stetere, partim qui contra ipsam disputare. Qui contra eam pugnarunt, aequae sunt multi atque vari. Fuerunt enim inde a primo legis diuinae contemtore diabolo vsque ad nouissimos quosdam, criticam philosophiam venditantes, qui vel plane impossibilem ducerent omnem reuelationem diuinam, vel omnino superfluam, vel certe nobis superuacaneam, qui iam ope rationis maiori in rebus diuinis eaque perfectiori gaudemus cognitione; vel denique vtilem quidem, sed non necessariam hominibus.

Quorum, qui primo ordine veniunt, Atheis annumerandi sunt, certis se persuasos opinantes argumentis, existentiam numinis summum, mundum gubernantis plane negant, simul dissententes, ullum dari posse oraculum diuinum. g) Ab his distinguendi videntur ii, qui quamvis

reli-

g) Horum e numero nomina quaedam nobis tradit CICERO de N. D. l. I,  
c. I.

religione reuelata vti poterant, nihilominus tamen ad persuasionem  
de existentia Dei certam non peruerterant, existimantes, nihil a se  
posse admitti et approbavi, quod sensibus suis percipere nequeant.<sup>b)</sup>

Sed

c. i. DIAGRAM scilicet MELIVM ET THEODORVM CYRENAICVM; ali  
etiam ANAXIMANDRVM ET EMPEDOCLEM philosophos addi volunt, vii  
PLATNERVS in Aporism. p. 592. Sunt eriam, qui et LEVCIPPVM nec  
non DEMOCRITVM in Atheorum numerum referri velint; fortasse his  
inducti argumentis, quod de utroque viro DIOG. LAERTIVS l. IX.  
tradidit, illos *sapiensem* mundi auctorem non statuisse, sed alterum  
pro rerum omnium creatrice habuisse *materiam*, scilicet aeternam;  
alterum vero atomorum vim infinitam. Evidem putauerim, ex cos-  
mogeniam explicandi ratione veterum non omnino posse concludi ad  
Atheismum eorum, licet certum sit, quam plurimos sitorum *sapientem*  
mundi creatorem non statuisse; vid. EVSEN. Praep. Euang. 1.1. c. 8.  
tamen numina, rebus humanis proficiencia nullo modo negabant,  
nec eorum oracula plane spernebant, hinc et e contrario negare non  
cupio, sere nullum philosophum gentilium certam et summo numine  
dignam statuisse prouidentiam, de quo paulo inferius dicam. Caete-  
rum, si quis accuratiorem de ipsis viris nominatis sibi comparare vo-  
luerit cognitionem, aedat KINDERVATERVM egregie commentantem de  
hac re in libro: *Anmerkungen und Abhandlungen zu CICERO's 3 Bü-  
chern von der Natur der Götter.*

h) Contra hos cum fatis superque sit disputatum, nolo equidem ista repe-  
tere, sufficiat, addidisse nomina posteriora. Ad eos perirent THOM.  
HOBBES, quem cum multi defendere, atque Atheismi labem ab ipso  
abstergere conarentur v. c. GODOFRED. ARNOLD in der Kirchen- und  
Ketzerbistorie, P. II, l. 17. c. 16, iis se opposuit Io. FRANCISC. BVDEDEV  
in thesibus de Arbeismo et superstitione cap. I. p. 187. sqq. Addas Io.  
WILLMOT. (cf. MOSHEMI Instit. hist. eccl. p. 844.) IVL. CAESAR VAN-  
NUS, RUGGERIVS, CASIM. LESZYNISKI, MATTH. KNUTZEN. Alii etiam  
BENEDICTVM DE SPINOZA eiusque affectas TOLANDVM, BULENVILLE-  
RIVM, PASSERANVM et EDELMANNVM Atheorum catalogo inferre  
volant



Sed cum iam multi eorum igne poenas fuerint, iniuste a me actum esset, si longiori oratione efficerem, ut fortasse nomina eorum iterum igni tradantur. Mittamus eos et ad alios animam attendamus, ad Deistas scilicet et Naturalistas. His qui sese adnumerant, nimium tribuentes rationi, religionem reuelatam superfluam esse omnes affirmant, et quidem, aut in vniuersum, aut singulis tantum populis vel hominibus. Quod ad priores attinet, insignes in iis sunt HERBERTVS CHERBVRIVS, SHAFTEBVRIVS Comes, ANTONIUS COLLINSIVS, MATTHAEVS TINDALIVS, quique hunc secutus est VOLTAIRIVS; THOMAS WOOLSTONVS, HENRICVS Vicecomes BOLINGBROCKIVS, DAVIDES HUMIVS, THOMAS MORGAN, IO. CYBBIVS, IO. MANDEVILLIVS, nec non DIDEROTVS atque LA METTRIE; quos ultimos fortasse quodammodo rectius ad Atheos retuleris. Insuper etiam tota Socinianorum secta huc pertinet, qui, sicut naturam Christi diuinorem plane negant; ita etiam ipsius doctrinam diuinitus patescantam esse non concedunt. His addendi sunt alii, qui, licet neque ad Deistas, neque ad Naturalistas sint referendi, tamen obseruandi et attendendi. Exiterunt enim nostra aetate philosophi, qui rationem humana ita erroris expertem statuerent, vt ea ipsa non modo desinire possit, quod in rebus diuinis sit credendum atque agendum, sed etiam illi tantam auctoritatem tribuerent, vt religionem diuinitus patescantam magis excolare, perfectiorem reddere, atque ita homines ad felicitatem

tem

volunt de quibus vide SCHROECKHIVM in compend. hist. eccl. p. 302.  
alii vero aliter sentiunt, vt PLATNERVS in Aphorism. § 934. vna  
cum annotatione Spho fabioneta; denique et PETRYM BAELEM non  
sine iure Atheis adnumerat SCHROECKHIVS in loco citato.

tem veram adducere posset. Dices quidem, hos viros necessitatem religionis diuinitus patesfactae non negare, quod statuant, eam a ratione perfici posse atque adeo debere; etenim si quid perfici *debeat*; et adsit necesse est, quod perfici *possit*. Sed haec est mutatio elenchii; loqueris enim de necessitate religionis diuinitus patesfactae non eius, quae tradita est, ad homines erudiendos et beandos, sed de ea, quae tradita est, ut ipsa perficiatur. Iam vero liceat nobis ita concludere: si quis est, qui statuat, rationem adeo cultam esse, ut errandi periculo non sit obnoxia, quaque vel religionis diuinitus patesfactae placita perficere possit; eiusdem ratio sublimior et perfectior sit necesse est religione reuelata, atque ita etiam concedere debet, se rationi tribuere hoc, ut possit viribus suis, religionis dogmata omnibus numeris absoluta exquirere, ideoque et profleri, sibimetipsi atque omnibus, tali ratione gaudentibus, religionem diuinitus patesfactam ad cognitionem salutarem et virtutem amplius necessariam non esse.

Sed superflunt adhuc, qui, quamvis religionis reuelatae necessitatem omni ex parte non approbant, tamen etiam eam non plane reiiciunt, sed multis vtilem, quibusdam etiam adeo necessariam esse autuant; scilicet omnes nostrae aetatis philosophi critici. Quorum cum disciplinam ut diligentiori examini submittamus opus esse videatur, quandoquidem tota mea disputatio eam spectat, sequentem sphaenum istius disciplinae parte tradenda occupabimus. Iam vero lustremus eos, qui rationis humanae vires nimis attenuare videntur. Hi probare conati sunt, rationem humanam, viribus suis nihil plane scire posse; praeferunt in rebus diuinis cognoscendis, nihil plane credere, nihil diuinari, sed omnia a Deo ipso in animis humanis effici, imo ipsae

C

notio-




notiones sine peculiari Dei interuentu, ab animis nostris abesse; utut *Supernaturalistae* existimant, quorum in numero ponendi CAR-TESIVS, MALEBRANCHIVS aliisque, quibus et *Fanarici* addountur. Alii autem, quique merito saniores vocantur, contendunt, nos omnino rationis vnu, et quidem argumentis nitentes metaphysicis, ad cognitionem veri Dei peruenire posse, sed nibilominus tamen reuelationem diuinam maxime necessariam existimant, ad cognitionem in rebus diuinis hu-mananam adaugendam, animum emendandum et ad felicitatem consequendam, ad quam tenendum rationis lumen non sufficiat. Qui cum omnes simul a KANTIO refutati viderentur, partim ipsam istius philosophi disciplinam amplexi sunt, partim iam ad incitas redacti, adhuc pugnant, partim autem ipsi nescire videntur quid sibi velint. Quae cum ita sint, operae pretium est, KANTII eiusque sectatorum sententias ex-plorandi, ad quam operam nunc nos accingimus.

### §. 6.

#### *Philosophorum criticorum sententia de causa nostra.*

Quo rectius de opera philosophorum criticorum iudicare possimus, in hac nostra causa collocata, adeamus philosophiae criticae aucto-rem KANTIVM, atque qui eiusdem partibus est addictus, FICHTIVM. Hi vt docerent, rationem solam ad recte sentiendum pariter ac agen-dum omnino sufficere, atque ita, quod ex hac sententia sequitur, re-ligionem reuelatam non esse necessariam, haec fere principia tradunt: Vnicuique homini a natura insita est *norma agendi*, (quam dicere posse sensum veri ac recti,) secundum quam ex ipsis rationis legi-bus omnes actiones suas conformare debet ac potest; hanc vero nor-mam

mam agendi *legem* vocant *moraalem*. Iam ponunt illi philosophi: si natura nos tales genuisset, ut nulla habita ratione rerum externarum, quae in sensus incurruant, animosque nostros admodum captant, sola ratione eaque optima duce cursum vitae confidere possumus; haud erat sane, quod quisquam ne quidem *religionem*, multo minus reuelationem requireret. Nunc parvulos natura dedit quasi igniculos, quos celesteriter malis moribus opinionibusque depravati, sic restinguimus, ut fere nusquam rationis lumen appareat. Etenim, addunt: ingenio nostro inhaeret agendi *libertas*, cuius inueniuntur duo principia, libertati inservientia, sive nobis innatae sunt due facultates appetendi, quarum quae dicitur *superior*, a ratione sola regitur, inde nihil appetit, nihil agit atque astequitur, quod non cum lege morali omni ex parte idque accuratissime conueniat; altera, facultas concupiscentia at appetendi *inferior* nominata, quam rectius vim dixeris, potest partim a ratione regi, partim a sensibus ferri atque abiri. Hinc potes intelligere, actiones bonas vocari tantum eas posse, quae secundum principium superius legique morali consentaneum conformentur; contra vero, quas pruritus quadam sensuum inducti peragimus, pruarum, sive quod rectius est, nou bonarum nomine insigniuntur. — Iam vero cum non solum πνευματικοὶ (Intelligenz) a natura creatus simus, sed etiam σωγόνοι, ita, ut non possimus non eorum quoque rationem habere, ad quae sensus nos incitant; quorum expletionem cum KANTIO recte vocaueris *naturae humanae finem*; hunc aeque minus ac illum, qui in obseruantia legis moralis cernitur, quique *finis moralis* vocari solet, debes negligere; quid? quod ratio ipsa, practica quidem, hoc iubere recte videtur non posse, nec re vera unquam impetrabit,



rabit, ut res, ad sensus pertinentes, plane non curemus; ipsa potius silentio quodam permittit et ius nobis relinquit, ut naturae finem, quantum physice fieri potest, assequamur. Etenim iste appetitus sensuum, explendas cupiditates suadentium, quatenus non ex contentu legis moralis oritur, isti legi non contradicit. Inde sit, ut homo quatalis, non solum momentis ad agendum in genere *ut* vtatur, quae ratione sola repetit, quaeque sunt tantummodo formalia, sed etiam momenta quaedam, a sensuum appetitu ducta, eaque materialia in auxilium vocet. Cum vero nihilominus tamen ratio practica absolutam nobis obedientiam imponens, absque illa conditione recte facta iubeat; a nobis postulat, ut in agendo alia omnia momenta, quae ipsa ratio nobis non suppeditavit, ab actionibus persiciendis remouamus; nullo fieri posse videtur modo, ut hunc vtrumque naturae nostrae finem unquam una attingamus, (qui fines tamen necessario coniungendi sunt, si quidem *summum bonum*, tamquam summi generis humani finis, de quo loquuntur isti philosophi, particeps evadere volueris;) sed potius vel hunc vel illum relinquere videamur coacti.

At vero ratio ipsa sibimet contradiceret in eo, si iuberet, ut finem humanitatis plane posponeremus rationis purae fini, omni conditione remota, (cui satisfaciendi nobis vim et veniam concessit) atque felicitatis nostrae partem quandam repudiaremus. Quae cum ita sint, et ius nobis competit, ut eam felicitatis partem, cuius ob obedientiam, legi morali praeslitam iacturam fecimus, a lege morali reposcamus; vid. FICHTIVM in I. I. pag. 33 sq. At vero ista lex moralis cum non valeat damnum illud reparare, si quidem ea naturae imperare nequit, qua tantummodo damnum nobis illatum potest reparari; effici.

efficitur inde, ut nisi volueris, legem moralem secum ipsam pugnare, existat numen quoddam sanctissimum et potentissimum, quod auctor sit legis moralis et dominus naturae, a quo damni illius reparationem possimus sperare, atque ita ad summum bonum peruenire possendum. Lex moralis igitur necessario ad religionem rationem humanam dicit, quod haec auctorem legis moralis et dominum naturae postular, quo cognito ad eius rationem in actionibus nostris habendam commoneamur. Ita ideam Dei legis moralis atque naturae auctoris et moderatoris demonstrantes philosophi, docent hoc: Ob tarditatem rationis humanae, quae partim in agnoscendo Deo, partim in exequendis officiis apud longe plurimos, saltem apud rudiores et incultos (quales FICHTIVS existimat Aethiopes et incolas insularum maris meridionalis) efficax sit, opus esse, ut Deus revelatione quadam eos excitet ad recte agendum, sic, ut leges morales diuina auctoritate sua sanctificat atque sanctitatem tueatur. Qua ex sententia horum philosophorum dogma de necessitate religionis reuelatae satis patet; eos scilicet reuelationem et religionem diuinitus patescantiam necessariam

## C 3

non

- i) Si quidem putaueris, nos hoc in loco confundere reuelationem in genere cum religione reuelata, haec obserues quaeque; bene tenemus, has notiones esse diuersas, vi contineat a contento; nobis tantum sermo erat in hac §. de sententia philosophorum criticorum de reuelatae religionis necessitate; philosophi isti loquuntur quidem fere semper de reuelatione; at si illi reuelationem diuinam, cuius argumentum aliud esse facile nequit, quam religio, non necessariam putant, nisi in summa generis humani peruerstante; quae ex ista sententia sequetur opinio de religionis reuelatae necessitate? Profecto haecce, qua putant, et hanc religionem, quae sine reuelatione esse nequit, sub iisdem modo legibus esse necessariam.



non putare omnibus hominibus esse, sed deperditis tantum, iisque, qui sopore quasi in rebus diuinis corupti, ita dormitant, ut rationis monitis non amplius morem gerant.

§. 7.

*Reprobatio argumenti pro existentia Dei, a philosophis  
criticis laudati.*

„Conamini tenues grandia!“ fortasse Horatius quidam lecto huius ſphi indice nobis acclamabit. Ego vero noui, quanta fint iſta conamina, quibus iam occupor. Quamuis autem exiguae noſtræ ſufficere non videntur vires, ad rem tanti momenti conficiendam, tamen haud parum inde conciliari noſtræ diuinationi grauitatis, ſi quaedam tantum attulerimus ad philosophorum argumentum laudatissimum labefactandum, nemo non videt.

At concedunt iſi philofophi, homines religione in genere carere non posse, quibus confeſſis ipſi demonstratio, religionem *diuinitus patet factam* hominibus maxime eſſe neceſſariam, haud erit diſſicilis. Etenim, qua tandem via ad perfectam aliquam religionis cognitionem peruenire poſſimus? quonam modo ad cognitionem veri Dei, omnis religionis fundamentum? — Aut rationis principiis, aut caſu aliquo? Profecto, ſi forte fortuna perueniendum eſt ad iſam cognitionem, magna premerentur mortales miseria, quod demonstratione non indiget. Itaque neceſſe eſſet, ut rationis addeſſent principia a priori data et humanae noſtræ naturae inſita, quibus ad Dei existentiam ope rationis concludi poſſit. Ex indole atque virtute humana hoc cum fieri nequeat, niſi vel theoreticis vel practicis argumentis adhibitis, quorum ne vllum quidem ad probandam Dei existentiam ſuf-  
ficiat,

ficiat, nos de omni probatione philosophica iure desperamus. Philosophia enim theoretica, a KANTIO nuper castigata, hoc in campo nos plane derelinquit, nihil sibi vindicans atque certis rationibus demonstrans, nisi quod sensibus potest attungi. Illa igitur argumenta non nisi e ratione practica essent deducenda. Haec vero cum eorum rationem non habeat, quae sunt quaeque sunt, cognitionem non de obiectua Dei existentia nobis subministrat, sed tantum ideam de Deo existente concipiendam postulat. Haec sunt argumenta, fidem nobis suadentia, quae philosophi critici nobis tradere visi sunt. Iam queramus, utrum ita sint comparata ut omnibus hominibus, aut singulis tantum persuasionem certam conciliare possint, et utrum ea reuelatio nem diuinam rationis cultoribus reddant superfluam.

Ac primo quidem criticorum philosophia contendit, nos exequenda virtute dignos felicitate euadere. Huius dignitatis caussam FICHTIVS in l. l. p. 34 hanc dicit: si lex moralis aliquod nobis ante concessionem ius, ut ut ius vita fruendi, repetit et nos cogit e. c. vitae nostrae officiorum caussa iacturam facere, vid. §. 6. Ex quo equidem non video, quomodo sibi et ipsi lex moralis repugnet. Nonne omne, quod subiectum est legi morali, eiusdem legis conditionibus adstringitur? nonne haec ius nobis concedit quolibet sub hac modo conditione, ne illo ad inobedientiam legis moralis utatur? (vid. KANTIVS in d. Kr. d. pr. Vernunft p. 199.) Qui igitur dices, rationem sibi posse in eo contradicere, si obedientiam postulat absolutam; cum tamen ea nobis tantum reliquerit ius, rebus externis fruendi non absolutum, sed conditionatum, quatenus scilicet hoc ius non adveretur legis moralis praceptis. Inde vero sequi videtur non ob-

seure,



scure, hominibus quidquam iuris non competere ad felicitatem amissam, a lege moralis repetendam, k) quoniam nos ad felicitatem e rebus externis consequeridam, non gaudemus iure absoluto, sed eo, quod subiectum est, iuri summo, legis scilicet moralis; nosque non posse existimare, ius quoddam perdidisse, si legi morali absolute praeципienti morem gessemus, etiam si ista obedientia coniuncta fuerit, cum felicitatis externae quadam iactura. Repugnantia igitur, quam ex mente philosophorum criticorum vidimus oriri in §pho 6 de iure legis moralis atque de iure nostro rebus externis fruendi, non est vera sed apprens. Haec repugnantia, sic iam argumentari licet, nisi est vera, non poteris ex hac concludere: Deum esse debere, qui istam repugnantiam tollat, atque felicitatis amissae partem restituat.

## §. 8.

*Alterius argumenti reprobatio.*

Superest adhuc aliud insigne argumentum, existentiam Dei postulans, quod cum labefactauerimus, ipsa causa nostra facile defendi poterit. Disputant enim hunc in modum: Quilibet homo ratione praeditus, omnibus contendere debet viribus, ut summum consequatur bonum, i. e. felicitatem eam, quae coniuncta est cum moralitate, sive habitu, praeceptis rationis practicae semper conuenienter agendi. Hac enim moralita-


k) Quanto igitur et hic sit praeserenda sententia Ies. Christi, opinione philosophorum, ex eo potissimum loco patet, vbi statuit Christus: Luc. 17, 10. Si omnia executi fueritis, quae vobis incurvabunt, existimate, vos esse feruos praemis haud dignos, qui non nisi officiis suis satisfecere.

ralitate, quo magis ipsam assequi homo operam det, fieri dicunt, vt eo *propius* accedat ad felicitatem, i. e. vt dignior, siue magis idoneus euadat, ad istam felicitatem capessendam. At vero lex moralis, siue ipsa moralitas cum non possit istam felicitatem efficere, siue, quod idem est; non possit summi boni nos participes reddere; adesse necessario debeat sumnum aumen, quod potentia sua nobis impertiat istam felicitatem.

Nos quidem fatemur lubenter, multa cum specie posse sic concludi, imprimis cum negari nequeat, legem moralem qua talen nos ad summum bonum non posse adducere, (*könne das höchste Gut nicht herbeiführen.*) Attamen liceat nobis monere hocce: ex isto tali argumento existentiam Dei haud quamquam posse confirmari. Quamquam enim lex moralis felicitatem nobis largiri nequit, tamen virtus vera est fons limpidissimus felicitatis, (cf. ABICHT in der *Lehre von Belohnung und Strafe*, Band 1. p. 216.) quam virtutem si colueris animo integerrimo, omnesque ipsi addicti eodem modo essent mortales, summum bonum atque regnum coeleste, vt literae sacrae dicunt, adesset proximum, rediretque aureum illud saeculum, quod iam dudum fugisse tantopere conqueruntur poetae. Nolo iam ad experientiam prouocare, ex qua satis confirmatur, quantum iucunditatis, suavitatis, tranquillitatis atque felicitatis percipiunt, qui virtutem animo sincero sequuntur. An vero tu putas, felicitatem hancce non esse verum et vnum virtutis praemium, atque existimas, eam potius quaerendam esse in rebus externis, quippe fragilibus et casu obnoxiiis, quas res virtus tibi reddere nequit, quibusque nec lex moralis impetrare valet? Hanc ac talen felicitatem equidem nunquam potero

D

agno-



agnoscere virtutis verum praemium, l) neque quisquam demonstrabit ex ratione, eam vñquam posse esse praemium virtutis. Dices quidem, quo tandem modo equidem potero frui felicitate ista, quae cernitur in animi summa pace, si e. c. ratio iussit, vt vitae facturam faciam alterius loco, cum post officium perfectum omni sensu caream, nonne tunc fiduciam in Deo solo debeo reponere? Pace tua excipio; rationem qua talem, vel si malueris, ethicam philosophicam, revelationis luce non collostratam, non posse demonstrare, hominis esse, alterius loco vitam impendere, m) ad hoc officium demonstrandum opus est notione Dei, qui damnum, quod passus es resarciet, alias nemo te adstringere poterit ad haec p[ro]sta[n]da, nisi forte gloriae infana libido: Haec demonstratio existentiae diuinae, si quidem recte

eam  
l) Egregie, vti mihi quidem videtur, hac de re differuit ABICHT in l. l.  
p. 395, ita, vt non possim non ipsa eius verba addere: *Sinnliche Lust soll es seyn, womit wir belohnt werden sollen? Die soußt gegen die Sinnlichkeit so vornebm thuende, und ihre Forderungen anderwärts (in der Gesetzgebung) verschmähende Vernunft, soll jetzt die Krone ihrer Werke, der sittlichen Gäre, von der Sinnlichkeit empfangen!* —

m) Si quis sibi persuadere non poterit de hac re, querat ex semetipso, num ratio practica absolute praecipiat sic: tum ei[us] vita alterius loco ponito, an potius ratio conditione adiecta iubeat? Comparabis cum isto p[re]cepto, quod rationis non est, aliud, idque hoc: tu quidem vlla in re alterum animo malo ne defraudato, sive: Verum loquitur; his in p[re]ceptis conspicis iubendi modum absolutum, in superiori non. Inde vero etiam lex superior de vita alterius loco impendenda merito dicitur insigne religionis christiana, quam nulla ratio sed tantum Deus ferre arque fancire potest. Inde Excellent. Iacob etiam in libro de problemate palmaris scripto: ad quae officia homo non potest adstringi si negaueris immortalitatem animi, iure suo ad haec officia referit, *Pro aliis viam impendendi, quae sententia ad eandem nostram reddit.*

eam ceperim, mihi profecto videtur demonstratio in orbem; nempe, ad officium demonstrandum, te debere interdum vitam impendere pro aliis, eges notione Dei remuneratoris; iam ex isto officio iterum demonstrare conari existentiam Dei, quoniam adsit necesse est, qui damnum illatum reparet.

Quae cum ita sint, et in hoc argumento, quod de summo bono delictum est, equidem non potui ad persuasionem de existentia Dei, sola rationis duce penetrare, partim enim putabam, virtutem atque sanctitatem esse summi boni effectricem, atque eam sibi met semper sufficere, partim quoniam damnum non potest cogitari subeundum, quod lex moralis absolute postulat. Relinquitur inde, et hoc argumentum nobis nullo modo de existentia Dei persuadere posse.

§. 9.

*Problematis pars prior affirmatur.*

His instructi subsidiis, quae §§phi antecedentes suppeditarunt, causam nostram iam tuebimus, ita, ut appareat, iudicium de re nostra ferendum sequi iam ex iis, quae haec tenus tradidimus. Concludimus autem sic: Si argumenta pro existentia Dei laudatissima, quibus nostrae aetatis philosophi vtuntur ad persuadendum nobis de Deo existente, non probant, et nihil omnino efficiunt; si deinde philosophi ipsi docent, existentiam Dei argumentis theoreticis vere probari non posse, tum vero, si multi nostrae aetatis viri honestissimi atque intelligentissimi conqueruntur, existentiam Dei a non paucis abnegari, quoniam hi opinantur, Deum omnino cognosci non posse; si denique querelae audiuntur non ementiae, de peruersitate morum, de tardita-



te atque negligentia hominum nostrorum in religione atque officiis suis exsequendis; opus non modo, sed etiam adeo necessarium est, ut ad sit doctrina, qua Deus diserte docet, se existere non tantum, sed etiam esse sanctissimum, qui olim index sit atque remunerator actionum humanarum. Ut vero haec nostra sententia atque argumentandi ratio recte percipiatur, mentem nostram curatius explicabimus. Argumentamur scilicet primo ex *non sufficientia* argumentorum, quae philosophi adhibuere ad existentiam Dei demonstrandam. Si rationes istae, a philosophis criticis ad confirmandam Dei existentiam allatae, non habent vim probantem, atque illa ipsa philosophia auctore, reliqua argumenta, quae antiquior philosophia suadebat, nihil omnino valent; sequitur satis aperte, nos quoad doctrinam primariam, omnis religionis fundamentum, de existentia Dei, haerere ambiguos atque dubios. Iam vero unde haec persuasio, *qua nemo carere potest*, nobis veniat, ipsa ratio si ab acutissimis philosophis dicitur parum idonea ad cognoscendum Deum? relinquitur, vt revelatio quaedam sit necessaria, qua Deus ipse testimonium perhibet sive longe dignissimum de vera sua existentia. Addas, et hoc, quod FICHTIVS aliquo loco dicit, quodque cum ipso multi statuunt; revelationem tum demum necessariam, cum homines ita sint peruersi atque officiorum suorum negligentes, vt rationis praecepta vel non cognoscant, vel plane non curent; et merito dici potest, ob peruersitatem multorum, imo plurimorum hominum nostrae imprimis aetatis, qui ratione vel omnino vti nesciunt, vel in rebus diuinis tantum eis usum ignorant, vel, etiam si sciunt, tamen non vtuntur, vel denique peruersi adhibent; religionem diuinitus patefactam *omnino esse necessariam*, qua isti homines partim

tim

tim edocentur de Deo suisque officiis, atque excitantur ad diligentiam.

At vero videmur hoc in loco non distinguere revelationem a religione reuelata, cum ex his, quae haec tenus docuimus, modo hoc efficiatur, ut reuelatio quaedam non religio reuelata sit necessaria. Sed res re vera est hoc loco eadem. Nam si loqueris de reuelatione tali, qua Deus semetipsum manifestat atque existentiam suam docet, eo consilio, ut ipse institutus homines, se esse summum legislatorem, sanctissimum, atque iustissimum judicem; in his iam habes traditam ipsam religionem reuelatam, quod istas propositiones impribus sunt, quae religionem reuelatam constituant.

Videtur quidem, ex hac nostra probatione cognosci non nisi hoc posse, religionem reuelatam non *omnibus* hominibus necessariam dici posse, sed tantum inscientibus, depravatis atque desperatis; atque ita nondum demonstratum esse, eandem *omnibus* necessariam esse. Num igitur et nos forte putamus, quosdam philosophos magni nominis existere, aut iam extitisse, qui religione reuelata facile carere potuerint? Id ipsum nolumus de nobis affirmari: satis sit, ex hac propheta patere, religionem reuelatam hominibus necessariam dici posse, cum sermo sit de *genere* non de singulis; a potiori autem fieri denominationem, apud omnes constat.

#### §. 10.

##### *Continuatio probationis ad singulos homines spectans.*

Difficilior videtur quaesito, sicut iam in propheta 2 diximus, num et philosophis sapientissimis religio reuelata sit necessaria. Etenim cum

D 3

exist-



existarent et adhuc inveniantur viri, qui non modo multa de Deo eiusque natura et ad homines relatione, atque egregie sciant, sed etiam essent, qui affirmarent, se carere religione reuelata posse, ita ut suam rationem sufficere opinarentur ad officia sua cognoscenda et exequenda §. 4. hic locus desinendi est, quid ex principiis rationis indubitate sit statuendum.

Quamquam negari nequit, hominibus eiusmodi, quorum ratio est cultior atque intelligenter, religionem diuinitus patefactam eodem modo atque eodem numero non esse necessariam, ita, ut e. c. et hi diuinitus monendi essent: ne furor; ne calumniator; de quibus praecceptis vero inculti et rudiores insituenti sunt; tamen et illis necessarium est, ut cogitationis suae, in rebus diuinis multis modis imperfetiae atque incertae incrementa capiant, quibus ea, quae iamiam ratione duce intellexere, reddantur certiora, et ut paucis dicam; habent principia indubitate, e quibus ratione adiutrice officia sua distingueant agnoscere queant; atque ita ad felicitatem perueniant. Noli quidem mirari, nos necessitatem religionis reuelatae in omnibus hominibus non eandem numero statuere, hanc sententiam enim requirit natura rei, atque ipsa confirmatur experientia. Qui enim iamiam imbutus est praecceptis quibusdam salutaribus, ea accurate tenet, atque diligentissime obseruanda statuit, ei institutio magistri his in praecceptis eodem modo dici non potest necessaria, vt dicitur homini inscienti atque tardo. Neque tamen vlo modo negamus, hanc ac talem institutionem diuinam hominibus intelligentioribus esse vtilem, uno potius, vel sapientissimis debet esse grata atque accepta reuelatio talis, qua Deus, qui omnis erroris expers est, declarat atque confirmat sapientiam.

sapientum illorum doctrinam esse veram ac omni modo obseruandam.  
Hinc et sapientissimus quisque reuelata religione vtitur ad certissimam  
persuasionem eorum, quae ipse excogitauit atque inuenit.

Accedit et hoc, quod sunt in religione quaedam scitu necessaria,  
quorum cognitionem nisi habueris certam atque omni modo firmam,  
multa de deficiant solatia, quibus adhibitis possis te ab aduersis de-  
fendere atque tueri. Horum placitorum quaedam hactenus non  
dum cognovit ratio humana sibi reliqua soli, sic, vt certissime ad  
eorum persuasionem penetrasset; sed potius eadem non nisi obscure  
diuinata est. Huc referenda imprimis doctrinae sunt de immortali-  
tate animi humani et vita post mortem futura; de Deo iustissimo olim  
iudice omnium actionum humanarum; de prouidentia diuina n) et

quae

n) Fuerunt quidem, qui contulerent et gentiles saltem sapientiores  
statuisse prouidentiam, sicut conspicere licet e CICERONIS libb. de Nat.  
Deor. nos vero iam supra contendimus, istam sententiam de prouidentia  
diuina Deo non dignam omnino suisse vid. §. 5. not. g. Ut hac de  
re modo pauca addam, (plura enim leges in LELAN's Erisceis etc.  
c. 17.) non nisi de Socrate, ethnicon philosophorum facile principe,  
monebo hocc: Non quidem est insciandum, eum de prouidentia  
aliqua diuina, ad singulos quoque homines pertinente, certo sibi per-  
fusum habuisse; sed in ipso pariter atque in eius discipulis, hoc iure  
reprehenditur, quod non Deum, sed nubes, vt vult Aristophanes, seu  
potius astra, rebus humanis proficiencia, docuerint, vid. PLATO in  
lib. X. de legibb. et in eius Epinomio. — Ii autem, qui ad genium  
illum seu daemone prouocare velint, quem a prouidentia diuina  
(v. Apulejum in daemone Socrat.) sibi adiunctum esse Socrates ipse  
contendebat; ad defendendum Socratem nihil omnino efficiunt. Ne-  
sciant enim doctissimi etiam viri, quid de illo daemone sit statuen-  
dum; vtrum Socrates ipse illum crediderit, quod negant, v. c. BRV-

CKER;



quae sunt aliae eiusmodi doctrinae. Inde merito colligere nobis licet; omnibus hominibus, vel sapientissimis necessariam dici posse religionem diuinitus patefactam: partim, ut persuadeantur de doctrinis religionis, quas sua sponte inuenere, certius, partim, ut incrementa cognitionis eaque quam maxime optanda capiant.

Supereft adhuc, ut, sicut innuimus iam in §pho 4. p. 13. quaeramus, utrum religio diuinitus patefacta et futurorum seculorum hominibus sit necessaria? Haec quaestio etiamq[ue] perfineat ad eas, quas non protulisse satius esset, quoniam, quod posteris erit necessarium, haud facile potest desiniri, namque eorum vires in cognoscendo vero non habemus antea cognitas; tamen ad istam quaefionem diuidicandam addere licet hoc: Si quidem quæsueris de eo, utrum *cogitari* quidem possiat homines, absque reuelatae religionis usu viuentes, id affirmamus, quoniam fuere, qui absque illa viuerent, de quorum salute tamen non desperarent doctores ecclesiae honestissimi. At vero cum locutus fueris de eo: utrum homines futurorum seculorum, qui contemnunt religionis reuelatae illam repudiant existimantque, se carere ea facile posse; ad felicitatem eam portingere possint, ad quam reuelata religio ducit et imprimis Christiana, merito id ipsum negamus. Etenim vires humanae licet magis magisque excolantur, tamen

sem-

CKER; nec omnino sciunt, quinam ille fuerit, utrum *diabolus*, utrum PLESSINGIVS in dem *Versuch vom Ursprunge der Albgötterey*, Tom. II. pag. 148. affirmat, an *Spiritus Sr.* vti POIRETVS in *Oeon*, div. I. III. c. 3. p. 750. an fortasse *ratio* fuerit *practica*, quae illi suppeditaret, ut verbis utar Xenophontis: τὰ μὲν ποιεῖν, τὰ δὲ μὴ ποιεῖν. — Haud facile igitur quispiam hac in re Socratem defendet, atque evincet, eum veram statuisse Dei prouidentiam.

= = = = =

semper erunt tenues atque imbecillae, ita, ut, quid in religione omni ex parte verum quidue falsum sit, sola ratione non cognoscant, neque ad solatia illa atque praesidia firmissima, quae suppeditat religio christiana vñquam perueniant. Relinquitur igitur, ut statuanus, religionem diuinitus patefactam omnium omnino temporum hominibus necessariam esse. o)

§. II.

*Pars problematis posterior definitur.*

Ita per tot sententiarum discriminata penetrauimus tandem ad ferendum de parte altera thematis nostri propositi iudicium; quod cum arctissime sit coniunctum cum priori parte, eiusque expositio in antecedentibus habeat rationem, a nobis breuius poterit absolui. Etenim et hic nos haud parum adiuuant, quae iam supra exposuimus in §. 4. de distinguenda necessitatis notione. Quaerentibus igitur primo; quatenus religio diuinitus patefacta hominibus dici possit necessaria, respondemus, eam ipsam non absolute necessariam dici debere et iure posse, sed potius *hypothetice* et conditionate, idque multas ob causas. Ne vero perperam intelligas sententiam nostram, ad memoriam debes reuocare, quae exhibuit §. 4. p. 12. de circumscripta notione necessitatis utriusque et absolutae et hypotheticae. Inde vero si contendimus atque affirmamus, istam religionem absolute necessariam non esse, aliud quid non statuimus, nisi hoc: in notione hominis, in se

specta-

o) Opus non est, ut hanc sententiam fasius demonstremus, ea enim iam accuratissime vindicata est ab Excell. TITTMANNO, in Programmate nuper edito: *num religio reuelata omnibus omnium temporum hominibus accommodata esse possit*, p. 24.

E



spectata, nihil omnino inueniri rationis, quae nos cogat affirmare; homines necessario per naturam suam religione reuelata opus habent, sive, quod idem est, notionem hominis possum animo concipere ita, ut ab sit a mente religionis reuelatae necessitas, sive etiam, homines possunt cogitari absque religione reuelata viuentes; qua quidem in re nemo a nobis dissentiet. Imo vero ista necessitas de hypothetica merito affirmatur. Iam cum supra ibidem dicemus, rationem necessitatis hypotheticae et logicae inueniri in tertia notione subiuncta, vindendum omnino est, unde ista notio petatur, ita, ut cum legibus cogitandi veri consentiat. Quantum quidem e tota demonstratione, quam hactenus suppeditauimus, conspicere licet, hypothesis illa invenitur in hominum felicitate, sive, ut cum criticis loquar, quodque videtur rectius atque accuratius, in summo bono consequendo. Hoc ipsum enim cum cernatur in moralitate atque felicitate cum ista coniungenda, iore affirmamus; homines eatenus religione reuelata carere non posse, quatenus summum bonum cupiant possidendum, sive felicitatem summam consequendam.

Id ipsum vero etiam curatus exponi atque seorsim spectari potest. Verum scilicet si est, quod negari nequit, religionem diuinitus patefactam cognitionem nostram in rebus diuinis adaugere debere; ita, ut ea partim intensius partim extensius maior fiat, ut docuit §. 12. et additur ad causam nostram definendam; religionem eatenus omnino necessariam esse, quatenus, homo cognitionem suam de Deo huiusque ad homines relatione certiore reddere et adaugere velit, qua ad felicitatem capessendam idoneus reddi possit. Deinde vero etiam ad officia cuiuscunque haec nostra circumscriptio transferri potest.

potest. Etenim non modo sperandum est, sed videtur etiam ad naturam religionis revelatae pertinere, ut haec moneat homines de praecptis salutaribus exequendis, eosque partim promissis de praemissis futuri seculi, partim minis grauissimis excitet ad satisfaciendum officiis, imprimis iis, quorum praefundorum causa iactura bonorum externorum est facienda; cuius generis sunt officia in patriam, cuius salutis causa vites atque vitam impendere teneris; professio religionis verae, constanter usque ad finem vitae retinenda, nullo ratione habita calamitatum, eius causa perferendarum. Inde dici potest religio diuinitus patesfacta eatenus hominibus necessaria, quatenus isti in officiis sanctissimis perficiendis haud raro torpent, atque ita incitamentis opus habent. Denique ad haec omnia accedere debet consolatio atque lenimen, quod suppeditandum est afflictis atque aegris. Quis enim est, qui dubiter, inueniri persaepe homines tristes atque miseros, quibus confundendum est cum malis multis ac tantis, ut eos omnia sere deficiant solatia, quae philosophia suppeditare valet. Hic enim animus humanus, tædio quodam rerum humanarum interdum captus, trahitur quasi ad religionem diuinam, p) a qua sola repetere studet moeroris sui distractionem, quam adeptus, sortem suam quamvis aduersam, constanter ferendam atque ad officia sua vires intenden-

E 3

das

p) Hanc ob causam extiterunt omni tempore religionis christianaæ non modo admiratores, sed etiam fuerunt; qui de vi eiusdem singulari, quam habet ad animos hominum in rebus aduersis recreandos, consolandos atque tranquillandos, quaque philosophia non gaudet, expenerent. Cf. Programmata notissima S. V. REINHARDI in quibus demonstratur; Religionem christianam opimum esse aduersorum solarium.



das existimat. Quae eum ita sint, sat grauis cernitur hac in re causa, quod contendere debeamus; religionem diuinitus patefactam eatenus hominibus necessariam dici posse quatenus longe plurimi eorum in rebus aduersis egent solatio efficacissimo religionis.

§. 12.

*E p i l o g u s.*

**Q**uae haec tenus de posteriori parte libelli nostri exponenda diximus, multo fusius a nobis potuisse elaborari, quilibet facile nobis largitur. Putauimus autem, haec omnino sufficere, cum existimaremus, iudicium nostrum de hacce re contouersa satis idque accurate posse intelligi. Ex his enim appetit primo, omnibus hominibus religionem diuinitus patefactam necessariam dici posse, deinde vero, cum nemo existat, qui legibus istis, secundum quas sententiam nostram definiendam statuimus, non sit subiectus; et cognosci potest sententia; istam religionem et omnibus et singulis necessariam dici debere. Hoc enim constanter credimus ac profitemur, ne quemquam mortaliū, cognitis commodis quam pluri mis atque perspecta utilitate, quam habet religio diuinitus patefacta eaque longe praestantissima, iure affirmare unquam posse, se non habere, quod istam religionem cognoscat atque admittat, nisi forte praeconceptis opinionibus aut superbiente ratione commotum.

Ne vero quis me iuuenem putet audacius egisse, quod auferim, philosophiae criticae partem quandam carpere, atque argumenta pro existentia Dei, quae haec philosophia tradit, iudicare minus idonea; secum reputet, me nunquam mihi de vi istorum argumentorum probante

bante potuisse persuadere, licet operam darem, ut recte ea intelligerem. Omissem autem lubentius illam demonstrationem meam, nisi admodum sensissimam, eam ad causam meam tuendam necessario requiri. Attamen in hoc tam graui negotio perficiendo animum meum haud parum confirmabant viri intelligentissimi, quos videram sensim sensimque viribus coniunctis philosophiae istius laudatissimae aduersas amplecti partes, quorum doctrina atque ingenium ne ab aduersariis quidem ipsorum improbabatur. q) Inde et optauerim, ut monitores non sint asperi, qui, si vires iuueniles ad tantum opus absoluendum inuenerint parum sufficientes, existiment, me cum multis aliis commune habere, quod homo sim, nilque humani a me alienum putem.

Quae cum ita sint, non possum non hoc in loco bona fisci-  
pere vota, ut religio illa diuinitus patescata, quae christiana nomen  
traxit, cuique addictum memetipsum esse laetor, in animis hominum  
magis magisque efficacem se praefest, atque inde sua diuiniora ad  
cultores suos tranquillandos et beandos indies conferat quam largissime.

q) Dignus est, qui h. l. laudetur ANONYMVS in libro, qui inscribitur:  
*Einige Bemerkungen über KANTS philosophische Religionslehre, 1795,* qui  
docuit certe hoc: multa cum veri specie posse aduersam KANTIO sen-  
tentiam de summo bono consequendo defendi.

---

E m e n d a n d a:

Pag. 16. lin. 15. post: patescantam suppl. necessariam.

— 19. — 13. pro: at 1. et.

— 31. — 6. pro: de 1. te.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
HVIVS LIBELLI  
AVGTO R I  
S. P. D.  
P R A E S E S.

**Q**uo magis, VIR DOCTISSIME! inter legendum libellum T V M intellexi, laborem a TE peractum iuvare haud indignum esse, eo lubentius abstinentiam esse existimauit a quauis laude atque commendatione T V I. Poteram quidem, ut haec profitear, mihi cum tradidisset elaboratam a TE disputationem diuidicandam, hic quaedam addere, illuc quaedam resicare, non quidem quod iuenerim cito lam, sed potius offendetur audacter disputata atque adprobata; at vero abstinui ab isto negotio eo diligentius, quo verius affirmarem, ea omnia, que exposuisti, soli TWO deberi ingenio. Inde vero equidem haud parum gaudeo, VIR HUMANISSIME! TE prium existere, qui e societate nostra, cui addicti sumus iuvenes vere diligentes ac doctrinae solidioris amantes, prodeat in publicum, atque nomine quasi societatis huiusc testimonium perhibeat, de fructu, quem ex ista nostra exercitatione sanguinus cepit. Haec enim societas, uti bene nosti, in hoc uno fuit occupata, ut doctrinam religionis divinitus traditae, praesertim Christianae accurate cognosceret, atque disputando addisceret, quid in etrange partem de placitis eiusdem possit proferri atque demonstrari; non quidem eo consilio, ut doctrinam istius religionis salutarem carperet, et, sicut quibusdam interdum accidit, vel plane abnegaret, sed ut intelligeret, quo modo aduersorum religionis nostrae argumenta possent reuici atque reprobari. Quia in causa TE cum ostenderis iuvenem diligentem atque acutum, qui philosophiae seniori placitis ad religionem Christianam tuendam cum fructu uti faciet, atque ita societati nostrae esset ornamento; iamiam TE rogo quam maxime, ut sis, qui has ac tales sensus in religionem Christianam defendendam omni tempore alas, et ad facta ipsius incrementa in animis hominum capienda, sicut optas diligenter conferas, atque societati nostrae fauere pergas.

Scripsi in Acad. Viteberg. a. d. X. Novbr. A. R. S. MDCCXCVI.

V I R O

P L V R I M V M   R E V E R E N D O

M. IOANNI GUILHELMO  
FROTSCHER

PASTORI ECCLESIAE QVAE EST DROGNITII  
NEOPOLITANORVM

P A T R I   O P T V M O

H O C C E   T E N T A M E N

S A C R V M

E S S E   V V L T

A V C T O R.



Wittenberg, Diss., Ergbd. 7, 1792-96  
vol 18

ULB Halle  
004 335 651


3



f

86.





1928 K 944

RELIGIO DIVINITVS PATEFACTA VTRVM  
ET QVATENVS DICI POSSIT HOMINIBVS  
NECESSARIA

DISPVNTATIO PHILOSOPHICO - CRITICA

QVAM

P R A E S I D E

C A R O L O F R I D E R I C O  
R O S E N H A H N

PHILOS. DOCT. ORDIN. PHILOS. ASSESS. ORDINAR. ET  
AD AEDEM ARCIS DIACONO

E NVMERO EORVM QVI SVB EIVS PRAESIDIO PRIVATIM SCRIBENDO AC DISSERENDO EXERCENTVR

A. DIEM XVI. NOVBR. A. R. S. MDCCXCVI.

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

H E N R I C V S C A R O L V S F R O T S C H E R

DROGNITIO - NEOPOLITANVS

SS. LL. CVLTOR.

VITEBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHIL

1796